



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

2. Famæ vis in utramque partem, spei & timoris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

II. (b) Has hyperbolas confingit Fama perinde mendax, ut loquax.

----- magnas territat urbes

Tam ficti, pravique tenax, quam nuntia veri.

Et juxta Ovidium, Comites Famae sunt:

Illic Credulitas, illic temerarius Error,

Vanaque Laetitia est, consternatique timores.

Unde Claudianus nigras sequiori Famae pennas affingit

Famaeque nigrantes succincta pavoribus alas.

Candentes ei dant Poetae, cum laeta nuntiat.

Et Silius de ea.

Terrificis quatit attonitas rumoribus arces.

Stattius. 3. Thebaid. pingit Famam ante currum Martis volantem hunc in modum.

----- At vigil omni

Fama sono, varios rerum succincta tumultus

Antevolat currum, flatuque impulsa gementum

Alipedum, trepidas densò cum murmure plumas

Excutit. Urget enim stimulis auriga cruentis

Facta infecta loqui.

Sapienter Seneca Epistola. 13. Illudit nobis illa, quae conficere bellum solet, Fama. Et Curt. lib. 3. c. 13. Famam stant bella, & saepe etiam, quod falso creditum est, veri vicem obtinuit. Accedit Livius: Fama bellum conficit, & parva momenta in spem, metumque impellunt animos. Tacitus quoque: Fama in novis coeptis validissima est: Nam primis eventibus metus, aut fiducia gignitur: prout enim prima cesserint, futura sunt universa. Idem de moribus German. Ipsa plerumque bella famam profugant. Sed contra rumores firmandus est animus; Livius: adversus Famam, rumoresque hominum firmus stabis. Et Paternus. Nunquam consilia ducis, judicio exercitus, sed exercitus providentia Ducis regendus est. Seneca:

Malè imperatur, cum regit vulgus Duces:

Ad calamitatem quilibet rumor valet.

Et alter Seneca Philosophus: Plura sunt, quae nos terrent, quam quae opprimunt; & saepe opinione amplius laboramus, quam re. Citò accedimus opinioni, & sic vertimus terga; quemadmodum aliquos pulvis motus, fuga pecorum exiit castris: aut quos aliqua fabula sine autore con-

terruit;

(b) Fama vis in partem utramque.



terrūt; nescio, quomodo vana perturbent: vera enim modum suum habent. Verisimile est, aliquid futurum mali, non statim verum est. Quam multa inexpectata venerunt; quam multa expectata, nunquam compa-  
ruerunt? Nimirum etiam leones terrentur larvis. Fama haud dissimilis est, illi ranæ. De qua in fabellis: Leo auditis ranæ clamoribus, primum percelli animo cœpit; quod crederet ingentem animantem tantæ vocife-  
rationis autorem esse. Dum animo confirmato, contra illum clamatorem se parat, & ad pugnam accingit, ecce videt prorepentem ranulam de pro-  
pinquo lactu, quam simul indignatione, simul etiam pudore affectus protin-  
us pede conculcatam attrivit. Quod doceretur non ad quemlibet strepi-  
tum esse expavescendum, neque re inexploratâ terri oportere. In pro-  
verbiis *Terror & Casus Panicus* dicitur, cum repentinæ consensiones im-  
mittuntur animis, lymphaticis simillimæ, ratione & mente carentes. De  
quo, Symb. 102. Veteres illorum tumultuum concitatorem Pana facie-  
bant, ego cum Poëtis & historicis ajo illorum Concitatricem Famam esse.

## SYMBOLUM LXV.

## Hippolytus adolescens castimoniam Decus.

15. *Metam.* & 7. *Æneid.*

## Ethicè.

1. Laus venationis. 2. Castitatis pericula. 3. Castitas fortis. 4. Incon-  
tinentia muliebris. 5. Castitatis præmia. 6. Inconsulta credulitas.
7. Medicorum laus. 8. Medicorum vituperatio. 9. Medicorum  
arrogantia. 10. Medicorum honores. 11. Medicorum conditiones.

**H**ippolytus Thesei & Hippolytæ Amazonis (quidam *Antiopen* appellant)  
filius, præcul habitis feminarum amoribus, cœlibem agebat vitam,  
Dianæque studiis addictus, sese venatu oblectabat, haud ignarus,  
pudicitiam tutius inter feras, quam homines versari: Otium, capitalem  
eius hostem, exercitiis ingenuo juvene dignis præfigari. Aberat domo  
(Athenis) Theseus, cum *Phædra* noverca, dudum privigni formâ capta,  
absentiâque mariti, occasionem explendi turpis desiderii rata, castissimum  
juvenem ausa est ad flagitium sollicitare. Exhorrescit ille facinus nefan-  
dum, & mulieris impudentiam generosa severitate à se repellit. Illa nul-